


05

A

568







*Disputatio AntiGesauvitica
tertia*

DE VERBO DEI SCRIPTO.

Contra mendaciorum Mulmannicorum speculum, cuius se fabrum profitetur Iohannes Mulhufius sive Epianaf/ Sectæ Iesuiticæ D. & Professor Moguntinus, Apollata egregius.

QVEM

Ad respondendum de propositis singulis Quæstionibus sive Problematis, provocat, & cum argumentis melioribus & solidioribus instructum prodire jubet

PRAESES

M. IOHANNES MULMANNVS Peg. Lips. ad D. Nicol. Archidiaconus,

Respondente

M. SEBASTIANO Frey / Lipsiensi.

VVITEBERGAE

Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus Clementis Bergeri Bibliopol. Anno 1607.





*Prudentia, Virtute, & Auctoritate
Præstantissimo Viro,*

DOMINO

IOHANNI Rotheupt/ IN-
CLYTÆ REIPVB. LIPSIENSIS
Iudici dignissimo, Domino & Pro-
motori suo debitæ observan-
tiæ studio colendo:

*Honoris & Favoris
gratia*

Dedicat & offert
Disputationem hanc

*M. Sebastianus Frey
Respondens.*

Disputatio Tertia
Continens refutationem mendacii
tertii & quarti.

THE S I S. I.

DEbat Iohannes Mulhusinus Gesauv vita in suo spe-
culo, in primis Hesiodi meminisse: εἰ δὲ κακὸν εἶπῃς, τὰς
κακὰ αὐτὸς μᾶλλον ἀκούσῃς. Nullum enim est, quod in
me evomit, mendacium, quin semper gravius in se de-
prehensum, premii loco, reportet; id quod ex hac quoque disputatione
erit manifestissimum.

προβολὴ mendacii tertii.

II.

Tertium mendacium proponunt Moguntini his verbis:
Tertio mentitur (Mulmannus) ex Moguntinorum disput.
sect. 2. th. 27. Scripturam esse causam errorum & sectarum.
Putidum mendacium. Ne syllaba talis illa in thesi, vel in to-
ta disputatione.

ἀντιβολὴ mendacii tertii.

III.

At tu putide gerro prestolare paulisper, mox te, ut meritus es,
excipiam. Nam quod tu effrons homo negas, id probare possum
& ex illa thesi & ex alia, aliisque cohereticorum fratrum scriptis.

IV.

Primo omnium si typographo mendam ignoscis, & pro nu-
mero 27. legis 37. invenies in illa thesi hac verba: Novatores in
doctissimo illo sanctissimoque viro (Cypriano) notent: quis
errorum ortus: quis ad hæresin, si pertinacia iungatur pro-

An S. Scri-
ptura sit Ge-
sauvvis
causa erro-
rum & se-
ctarum.

r Probatio.

gressus, hic nempe. Primò ad solum Dei verbum scriptum provocare: deinde traditiones contemnere: tandemque Romanum Pontificem, Ecclesiæ consuetudinem urgentem irridere: *Addit & hoc*: qui solum Dei scriptum verbum mordicus tenent, eos sua sponne in æternæ perditionis barathrum sese præcipitare.

V.

Nomine ortus & progressus notari hic causam procreantem & conservantem, nemo sane mentis dubitat. Nam si Regni papalis ortus & progressus est à Beelzebube, erit ἀναμφοβήτως Beelzebub eiusdem causa autor & promotor.

VI.

Nec interest differre inter solum Verbum Dei scriptum & provocare ad illud: siquidem unum ad alterum consequitur: si non licet provocare, erit illud ortus errorum & ad hæresin progressus, si licet non erit.

VII.

His ita præmissis argumentor hoc modo:

Solum Verbum Dei scriptum est Gesauvuitis causa errorum & sectarum:

Solum Verbum Dei scriptum est scriptura.

Ergò scriptura est Gesauvuitis causa errorum & sectarum.

Et per consequens non mentitur Mulmannus tertio.

VIII.

Maior est manifesta & plana ex modo allatis: nullam enim possunt afferre aliam causam, cur ad Verbum scriptum solum non liceat provocare, nisi quia id faciat hereticos.

IX.

Minor per se quoque patet: Nam non loquimur de alia scriptura, nisi qua est θεῶν ἑσώστος & sacris Bibliis continetur. Deinde particula exclusiva non evertit aut tollit propositionem, simplicem, ut etiam in vestibulo Logices versantibus notum est. Ut si negatur Mo-

Cur non liceat provocare ad solam scripturam

Exclusivæ propositionis vis

guntinus

guntinus Patriarcha solus esse asinus bipes, non propterea negatur simpliciter talis esse.

X.

Age verò Apostata responde ad hoc argumentum planè
ἔπος ἐκτινόν.

Evsadio.

Quod Christus in controversiis & disputationibus facit, id nequit esse causa, sive ortus & progressus sectarum.

Atqui Christus in controversiis & disputationibus provocat ad solum Dei Verbum scriptum.

Ergò provocatio ad solum Dei Verbum scriptum nequit esse causa sive ortus & progressus sectarum.

XI.

Maior communi Christiani cœtus consensu vera est. Cum enim Christus sit ἀναμάστος, necesse est omnia eius facta vitio carere.

XII.

Minorem hisce testimoniis confirmo: Ad solum Dei Verbum scriptum provocat Christus cum disputat contra Satana ἄντιπίστον τὰ θεράσινά. Matth. 4. v. 4. 6. 7. 10. contra Iudicam prophanationem templi. Matth. 21. v. 13. contra ignaros Deitatis Messie. Matth. 22 v. 43. contra traditiones pharisæicas. Marc. 7. v. 6. contra resurrectionis suæ inficiatores. Luc. 24. v. 25. & 46. contra Messie contemptores. Iohan. 5. v. 40.

Christus disputat ex solo verbo scripto.

XIII.

In his & similibus controversiis Salvator adhibet ad sui defensionem non traditiones Ecclesie sed solum Dei scriptum Verbum. Ergone à Christo est errorum ortus & ad heresin progressus? aut ipse in æterna perditionis barathrum sese precipitat? Faceffe Satana cum absurditatibus & blasphemis tuis atrocissimis.

XIV.

Qua in parte insistunt B. Apostoli Domini vestigiis perquam fideliter, ex sola quoq; Scriptura refutantes irrisores Spiritus sancti

Exemplum Apostolorum.

*Act. 2. v. 16. inficiatores Resurrectionis & exaltationis Christi
ibid. v. 25. item Act. 13. v. 33. turbatores Ecclesie Iudaica gentilis
Act. 15. v. 23. item 21. v. 25. suos accusatores Act. 24. v. 14. defensores
iustitia Pharisaica Rom. 1. v. 17. c. 4. v. 23. c. 10. v. 12. c. 11. v. 26. iactato-
res carnalis sapientia. 1. Cor. 1. v. 9. &c. Num Gesauvuita in hac quo-
que solius S. Scriptura Apostolica allegatione, agnoscis errorum or-
tum & ad haeresin progressum? aut profer exempla, ubi Apostoli ad
traditiones non-scriptas unquam in controversiis provocarint? pro-
fer inquam, propone, monstra.*

XV.

ii. Proba-
tio.

*Deinde sect. 3. th. 89. commendat Scripturam hisce verbis:
Calviniani & Lutherani iam audiverunt spiritum Sanctum
loquentem per scripturas, numquid dirempta est lis? mini-
mè gentium, sed illata magis,*

XVI.

*Insignis vehemens & valde atrox hac est blasphemia, quam
si intueor toto animo cum omnibus piis perhorresco: dicit enim Ge-
sauvuiticus iste Satan, non tantum Scripturam, sed etiam spiritum
sanctum per scripturam loquentem minime dirimere, sed magis in-
ferre litem.*

XVII.

*Ex hac blasphemia hypotesi sequuntur palpabiles absurdi-
taes: 1. Ergò nondum refutati sunt errores, quos Christus & Apосто-
li S. Scripturarum autoritate oppugnaverunt? 2. Sacra Scriptura
nulla ex parte potest esse Norma veritatis, quia magis infert, quàm
dirimit litem: at norma dirimit, non infert litem.*

XVIII.

*Sic igitur argumentor:
Quicquid magis infert quàm dirimit litē, id est causa errorum
& sectarum.*

Acqu

Atqui Sacra Scriptura magis infert quàm dirimit litem.

Ergò Sacra Scriptura est causa errorum & sectarum.

XIX.

Maior est manifesta: quid enim aliud est magis inferre litem quàm dirimere, nisi magis causam esse errorum & certaminum quàm concordia & veritatis?

XX.

Quia vero atri Spiritus opus est inferre lites, pacemq; turba-
re. 3. Reg. 22. v. 22 Esa. 19. v. 13 stupenda est blasphemia, spiritui sancto tantum scelus attribuere, utpote cuius proprium munus est deducere in terram rectam Psal. 142. v. 10. Ducere in omnem veritatem. Ioh. 16 v. 13. Et quidem per sacras scripturas: per has enim loquitur ex sanctis Apostolis I, nunc Gesauvuita & proclama ubique: Quorum te postulat Mulmannus, eorum ne syllabam quidem in tota disputatione reperiri. Procul dubio ipse ignoras, quid scripseris vel potius ex aliorum libris descripseris.

Blasphemia
in spiritum
sanctum.

XXI.

Tertio quam tibi ex tuis thesibus sententiam ob oculos pono, eandem cum Gregorio de Valentia communem habes: is enim tom. 4. disp. XI. Quest. 1. de locis anim. post mort. Punct 1. ita scribit: Ideo fit ut hæretici à vera sententia fidei tam facile aberrant, quoniam scripturæ loci, in quibus illa continetur non satis sunt plani & perspicui.

III. Proba-
tio.

XXII.

Hic vox (ide) denotat causam: nam si quis querat, cur hæretici errent: respondet Gregorius ideo fit, quoniam Scriptura loci non sunt perspicui. Opponit itaque scripturam & sectas non ut contraria, sed ut relativa, tamquam causam & effectum, unde manifestum evadit, Scripturam divinam esse Gesauvuitis causam errorum & sectarum. Vsque adeo nec Moguntinis nec ullis Pontificiis iniuriam facio.

Præterea

XXIII.

Egregia sacrae scripturae commendatio.

Præterea Tom. 3. disp. 1. Quæst. 2. de Obiecto fidei punct. 7. ita criminatus divina eloquia: Scriptura sacra sic omninò posita est, ut experientia etiam doceat, eam per se solam non tam Regulam accommodatam esse ad declinandos omnes errores, quàm arcano Dei iudicio esse velut lapidem offensionis, & in tentationem (ut sapiens de Dei creaturis Sap. 14. inquit) pedibus insipientium, ut qui velint ea sola niti, facillimè impingant & errent.

XXIV.

Et in sequente §. Tantum abest Scripturam solam posse facile finire controversias omnes fidei, ut ipsa potius sit occasio controversiarum & dissidiorum in doctrina fidei. Addit mox: per eam (ex scriptura sola desuntam) sententiam non inodò non finitur, sed etiam fovetur & ventilatur controversia. Quod cum in hac & in aliis omnibus controversiis fidei, quæ sunt inter sectarios, compertum sit certè mihi videtur insania arbitrari, solam scripturae auctoritatem esse fidei iudicem. Hactenus ille.

XXV.

Audiunt hîc omnes: quod hæretici impingunt & errant, id fieri ex arcano Dei iudicio & tali Scripturae dispositione: imo ipsam esse occasionem errandi: Ergò & Deus ipse qui scripturam ita disposuit, est in Collegiis Gesauvitarum causa sectarum & errorum. Verùm quàm atroces hæ sunt blasphemia, tam alienus est Mulmannus ab omni mendacio, cum scripsit. Moguntinos (adde alios Pontificios) facere Scripturam errorum & sectarum causam.

περὸ βολῆς mendacii quarti.

XXVI.

Quarti mendacii culpam irrogant mihi Moguntini his verbis: Quarto mentitur (Mulmannus) ex Moguntinorum sententia

tentia

tentia sect. 3. th. 50. Scripturam per se, neque verum neque falsum dicere. Impudens est mendacium scriburpa semper verum dicit, falsum numquam. Sed cum impostor Lutheranus scripturæ vera dicenti, hunc sensum affingat falsum; alium, impostor Calvinianus & hoc solum contendimus, Scripturam ipsam per sese non explicare, & per modum iudicis determinatè dicere. Tu (Lutherane) vel tu (Calviniane &c. deciperis Probet hoc prius Mulmannus in Eucharistia saltem materia, Calvinianis; Lutheranorum ex asse hæredibus, tum redeat ad Moguntinos. Prudenter faciet tamen, si prius ea de re, Doctissimi Patris Gretseri lucubrationes diligenter legerit pariter, & quod in primis opto, intellexerit.

ΑΥΤΙΦΟΛΙ.

Ad amoliendum hoc quoque mendacium, explicanda sunt ordine hæc questiones. 1. An Scriptura Moguntinis semper verum dicat? 2. An numquam falsam dicat? 3. An verum dicat sine sensu verò? 4. An propter falsos sensus sibi affictos non possit dicere quis tandem verus sensus sit? 5. An propterea quia non expressè & determinatè dicit tu Lutherane, tu Calviniane deciperis, per se non explicet verum & falsum sensum? 6. An Moguntini per hoc quartum mendacium quicquam solverint de Argumento Mulmanniano?

QVAESTIO. I.

An Scriptura Moguntinis semper verum dicat?

XXVIII.

Verba Moguntinorum sect. 3. th. 50. sunt hæc: Scripturam varios recipere sensus, experientiâ tot hæresum manifestum

B

est

Moguntini
conclut
non in
m
er

Quæstio-
nes.

Quæstio
I.



est: nec minus perspicuum, eandem Scripturam per se ne-
que explicare, neque dicere quisnam totum sensum verum sit
quis falsus.

XXIX.

Ex his id concludo, quod nullus adversarius solvere possit:

Quod per se nullum explicat sensum, id nec verum nec falsum
dicit.

Scriptura (ut docent Moguntini) per se nullum sensum explicat.

Ergo, Scriptura (ex eorundem sententia) nec verum nec falsum
dicit.

XXX.

Maiores probatur: Omnis enim sensus vel verus vel falsus
est: explicando sensum aliquem, dicimus vel verum vel falsum.
De quo igitur negatur sensus, de eodem negatur etiam verum &
falsum. Minor est vestra Moguntini. Conclusio plane intolerabilis
vobis videtur, ideo inclamatis eam: impudens mendacium. At
inclamate viri boni vestram potius Minorem, ex cuius visceri-
bus illa necessario & ἀποκτῶσ sequitur.

XXXI.

Non est autem vobis tantum animi, ut candidè offerere au-
deatis, quod vobis falso assignari conquerimini. Dixeram ego: scri-
pturam ex vestra sententia, per se non dicere verum. Respondes tu.
Naso, mendacium est: Scriptura semper verum dicit. At non quæsi-
tur hoc sed utrum Scriptura per se, per se, inquam, verum dicat?
en rhodus hic salta: quid alia cæpis misces, quid mussitas? adde
tò per se.

XXXII.

Certè, quo te vertis captus es. Si negas Scripturam per se verum
dicere: falsum est. Mulmannum mentiri, quia hoc ipsum vobis tri-
buit: sin affirmas, actum est de Ecclesia Romana autoritate judi-
diciaria & ut ita dicam interpretatoria: imò actum est, cum uni-

Moguntini
negant
conclusio-
nem: non
autem præ-
missas.

An S. Scri-
ptura per
se verum
dicat.

Dilemma.

ver

versa tua disputatione, in qua eò unice tendis, quod Scriptura non per se verum dicat, sed quatenus Ecclesia Catholica publica & recepta interpretatione intelligitur, sicuti in secunda disputatione te mentientem cognovimus.

XXXIII.

Hanc cum tu scyllam metueres, noluisti confidenter affirmare id, quod ego te negare scripsi: sed subdole affirmas aliud, de quo non fuit sermo. Quapropter jubeo te ingenuè affirmare, an Scriptura per se verum dicat, an verò per Ecclesia vestra Catholica interpretationem. Responde bone vir, vel extremum te occupabit scabies.

QUESTIO II.

An scriptura numquam falsum dicat?

XXXIV.

Videtur hoc Nasutus Sophista simpliciter statuere, sed horrendum monstrum alit, quod paulò post prodit, cum inquit. Scripturam per sese non explicare, quis sensus Scripturae falsus sit: Ergò numquam falsum dicit Scriptura usq; eò ut etiam quis sensus ipsi affectus falsus sit non dicat: Ecce hoc sibi vult Faber iste speculi miserimus.

XXXV.

At ne $\nu\pi\alpha\lambda\omicron\nu$ illud Sophista intactum relinquamus, sciendum est, utrumq; rectè predicari: Scriptura numquam falsum dicit: & tamen nihilominus Scriptura quid falsum sit dicit.

XXXVI.

Nam hæc duo, dicere falsum & dicere quid falsum sit, Sic Sic differunt: illud est mentientis: hoc est Normæ ac judicis.

XXXVII.

Exemplis rem confirmo. Sadducei dicunt non esse resurrectionem mortuorum: Christus ait esse, & veri falsique testem ac ju-

Scriptura
judicat de
falso.

dicem mox allegat Scripturam. Matth. 22. v. 29. Tertullus Orator vocat Pauli religionem heresim: Paulus id ipsum negat: quis hic utrum falsum sic dicit? quae in lege & Prophetis scripta sunt. Act. 24. v. 14. hoc est Scriptura legis & Prophetarum dicit quid falsum sit. Vbi notandum est, quod Paulus ne syllaba quidem ad Apostolicae sedis iudicium provocet: nec enim quicquam profecisset dicendo: mea doctrina non est heresis, quia D. Petrus sic docet: imò petiisset principium. Ergò Scriptura etiam quid falsum sit dicit.

QVAESTIO. III.

An Scriptura verum dicat sine vero sensu?

XXVIII.

Partem affirmantem amplectitur, Mulhusinus. Nam ch. 50. ita scribit: Scriptura per se neque explicat, neque dicit, quisnam tot sensuum verus sit, quis falsus. At in praesentis mendacii $\omega\sigma\phi\omicron\lambda\eta$ ponit hoc: Scriptura semper verum dicit. Dicit igitur verum sine vero sensu.

XXIX.

Absurdus & insulsus hic est error, communi Theologorum & Philosophorum suffragio: aliquid verum esse sine vero sensu: sic enim duplex erit veritas, una rerum: altera sensus vel cognitionis. Hoc si fossor vel caprimulgus aliquis assereret, parvi penderem, quod autem Magnus Gregis Gesauvitici Doctor & Agor. archa. tanta subtilitates in medium profert, id mirari satis nequeo. Sanè si hoc didicit ex lucubrationibus Kretzeri cuius lectionem mihi commendat, laudabiles fecit profectus.

XL.

Tu verò mi Iohannes prudenter facies, si prius ea de re Metaphysicos Logicosq; libros consulueris: qui te sic informabunt, quod una eademq; sit veritas, rerum, orationis, conceptuum, licet diversis induta rationibus: nam in rebus est $\nu\lambda\iota\kappa\omega\varsigma$, in verbis $\sigma\upsilon\mu\beta\omicron\lambda\iota\kappa\omega\varsigma$, in mente $\delta\mu\omicron\iota\omega\tau\iota\kappa\omega\varsigma$. Nihilominus tamen verum ipsum non variat, nec in rebus, nec in oratione, nec in sensu vel in-

tellectu

Gesauvitarum error in Philosophia.

An veritas sit una & simplex.

Intellectu. Sed veritas in rebus est norma vel mensura veritatis in sensu & intellectu: imò est adequatio conceptuum vel sensuum mentalium cum rebus extra animum positis.

XLI.

Hinc Aristoteles in Org. de Interpr. c. 9. ὁμοίως, inquit, οἱ λόγοι ἀληθεῖς ὡς αὐτὰ τὰ πράγματα. Loquitur autem precipue de λόγῳ ἐν διαδέτω vel oratione interna, quæ nihil aliud est nisi externa orationis sive scriptæ sive pronunciatae in anima sensus, vel mentalis perceptio. Sic enim ibidem scribit c. 1. ὡς αὐτὰ ἐν τῇ ψυχῇ τὸ νόημα, οὕτως αὐτῇ ἐν τῇ φωνῇ. Quemadmodum in anima est intelligentia: ita etiam in voce. Et α. min: cap. I. Metaph. ἕκαστον ὡς ἔχει τὸ εἶναι οὕτως αὐτῆς ἀληθείας, ut uniuscuiusque rei natura & essentia se habet, ita etiam eius veritas.

Aristoteles non separat verum sensum à veris rebus.

XLII.

Ex his ita argumentor:

Universa res ut in sua natura vera est, ita etiam in oratione & sensu vera est:

Sed in sua natura per se vera est.

Ergo & in oratione & sensu.

XLIII.

Antecedens manifesta est ex precedentibus, quibus addo hoc: alias τὰ ἐν τῇ ψυχῇ vel conceptus non essent ὁμοιώματα τῶν πραγμάτων, simulacra rerum: nec oratio esset σηματικὴ hoc est non præberet significando verum sensum: sed omni prorsus usu exueretur.

XLIV.

Hæc philosophica non ideò infero, ac si conceptus mentis regenerata & non regenerata confundere velim: sed ut ostendam, quo loco Gesauovitæ sacram Scripturam habeant, certè faciunt eam quoad officium significandi, quibuslibet profanis scriptis deteriorem.

S. Scriptura est Gesauovitæ Ethnicorū scriptis deterior.

XLV.

Cum enim omnium sapientum scripta ita composita sint, ut verum sensum quem in se habent, legentibus per verborum signifi-

catio

cationes aperire possint: sola scriptura Gesauvuitis ita verum dicit, ut legens inde nec verum nec falsum sensum consequi possit, sed necesse habeat confugere ad Ecclesia interpretationem.

XLVI.

Quare Ecclesia Romana primò sibi aliquem verum sensum imaginatur, postea eum in Scripturam ipsam violenter intrudit, ut ideò vera sit, quia à Romanis talis esse dicitur: id quod est contra omnem rationem rei & orationis: ἔστιν ὁ μὲν ἀληθὴς λόγος ἰδ' αὐτῶν αἰτίοιστ' εἶναι τὸ πρῶτον dicit Philosophus in Org. Categ. c. 12.

XLVII.

Exempli gratia, cum quaritur de vero sensu Aristotelis scribentis: homo est animal: exhibent nobis verba ipsa sua significatione verum sensum, ut enim non per interpretationem nostram, sed per se verum est, hominem esse animal: ita etiam per se verum esse verbis significatur.

XLVIII.

At cum Scriptura dicit: Iustificamur fide gratis non operibus, id Gesauvuitarum iudicio per se nullum habet sensum, sed eum accipit ab Ecclesia. Ergò revelasset ipsis Deus in scriptura verbum cassum, ἀψυχον καὶ ἀνόητον omnium gentium voluminibus obscurius, incertius, deterius: quippe quod veritatis sensum non præberet, sed aliunde reciperet. Sed ea de re dictum est copiosius in Pyrrhone meo redi vivo capitibus sexto & septimo: quorum ut & ceterorum solutionem, desperabundus Gesauvuita attentare noluit.

XLIX.

Interim ut ἐκ τῶν ὀικαίων probemus, Scripturam ita verum dicere, ut etiam ex se verum sensum promat, manifestum id est primò ex testimoniis divinis. Deut. 17. v. 18. Rex postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deutoronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Levitica tribus & habebit

Y.
Probatio.
quod S.
Scriptura,
ex se verū
sensum pro
mat.

secum

secum, legetque illud omnibus diebus vite sue: ut discat timere
Dominum Deum suum.

L.

Vnde argumentor sic: Quicquid legendo docet timere verum
Deum, id ex se promit verum sensum:

Verbum scriptum legendo docet timere verum Deum.

Ergo etiam ex se promit verum sensum, & per consequens Scri-
ptura ipsa se exponit.

L I.

Minor patet: Maior probatur, primò, quia verus Dei timor
presupponit verum eius verbi sensum: 2. Legenti non semper adest
vividus interpretes externus: at interior illuminat Spiritus sanctus
cor notitia veri cultus Dei.

L I I.

Deinde inane esset omne mandatum, quo ad attentionem
legentes invitantur: ut cum Christus dicit. Matth. 24. v. 15. Qui
legit vocetur, intelligat. & Paulus. 1. Tim. 4. v. 13. ἀκούετε, attende
lectioni. Nam si absque viva interpretatione nullus sensus ex
Scriptura sperari debet, frustra adhibetur ad lectionem attentio.

L I I I.

Et quem quæso in finem Paulus iubet Timotheum suum,
habere ὑπόμνημα vel formam sanorum verborum. 2. Epist. 1. v.
13? quid opus erat; si verus sensus ex interpretatione non ex verbis
ipsis sumitur? nam si interpretatio Ecclesie non fallit, parum re-
fert habere selectum verborum: ut si Ecclesia statuit, nos iustificari
bonis operibus frustra dixit Paulus iustificamur sine operibus Le-
gis. Rom. 3. v. 28.

L I V.

Quin imò non de nihilo est, quod Synodus Tridentina solam
& unicam Bibliorum Versionem, quam vulgatam dicunt pro au-
thentia habere præcipit. Decret. 2. sess. 4. Certè hoc nulla

III.

Cur Ponti-
ficis veterè
versionem
canoniza-
rint.

alia

alia de causa facit, nisi quia sensus nonnullis erroribus Pontificiis conformes, inde se mutuaturam plus confidit, quam ex textu Hebraico, vel Græco.

L V.

Si igitur Latina vetus translatio sensum aliquem ex se promit, absurdissimum est, Linguam Prophetarum & Apostolorum hac in parte illi postponi.

Q V A E S T I O IV.

An Scriptura propter falsos sensus sibi affictos, non possit dicere quis tandem verus sit sensus?

L V I.

Mulhasinus est casus philosophus.

Affirmas id Mulhasine, sed perperam & insulse admodum, utpote cui fortasse ignotum est Axioma: Entia non destrui & everti non entibus: Quia talium nulla est efficacia, nulla operatio, ut si quis sentiret, te esse veram simiam, num propterea tu cessares esse homo? Aut si tibi affingeretur nasus Rhinocerotis, tu propterea non haberes verum hominis nasum?

L V I I.

Beatus Hieronymus de doctrina.

Diabolus affingit Scriptura falsum sensum eumque pro vero obtrudit, quasi etiam in rebus à vocatione divina alienis, angelos Dei haberemus custodes. Matth. 4. v. 6. Scriptum est, inquit: quia angelis suis mandabit de te. Nihilominus tamen Scriptura verum sensum non amittit: nam si integer textus recitatur & additur: ut custodiant te in omnibus viis tuis: patet verus sensus omni luce clarior.

L V I I I.

Quod si Scriptura verum sensum nec in se haberet, nec alius præbere posset: non differret pars Scriptura avulsa & integer textus:

eius:

ius: nam Ecclesia posset etiam truncatam Scripturam recte interpre-
tari, imò nullam habuisset Pontifex infernalis mutilationis causam:
quam tamen D. Chrysostomus profert in serm. adversus hereticos,
ubi dicit: Cetera quae sequuntur obtulit, Sciebat enim quod adver-
sum se dicta erant. Ergò metuit Diabolus ipsum verborum omisso-
rum sensum verum, tamquam sensui falso ex diametro contrarium,
aliàs integrum textum recitare potuisset.

LIX.

Hoc ipsum D. Petrus indicat verbo $\sigma\tau\epsilon\phi\lambda\epsilon\upsilon$ 2. Epist. 3. v. 16.
quando dicit, quod indocti & instabiles Scripturas detorqueant ad
suam ipsorum perditionem. Proprie autem torquetur per vim illa-
tam id, quod se rectum est, ergò infertur etiam per interpretatio-
nes falsas vis scriptura, quae si libero animo tractaretur, rectum &
genuinum veritatis sensum facile suppeditaret.

LX.

Ita luce meridiana clarius est, per falsos sensus scriptura sa-
cra vi intrusos, non tolli sensum verum, ex textu ipso, nativa qua-
dam facilitate, pium, diligentem & attentum lectorem, per Spiritus
sancti gratiam, consequentem.

LXI.

Hoc qui negat perinde facit, ac si propter mortem alicui vi il-
latam negare vellet, nullum hominem beneficio anima per se vive-
re. Verum ut male hoc cohaeret:

ab absurdo
mili.

Quidam homo vi amittit vitam:

Ergò nullus homo per se vivit. Ita & illud:

Interdum Scriptura sacra violentus sensus infertur:

Ergò Nulla Scriptura sacra per se verum sensum habet.

Nihilominus tamen videtur sibi Gesauv vita magni doctoris

munus disputando obiisse: quem ego propterea non immerito ad Grezeri lucubrationes, unde immensum sapientia Oceanum hauriri posse somniat, remitto.

QVAESTIO. V.

An propterea quia Scriptura non expresse & determinate dicit, tu Lutherane, tu Calviniane deciperis, per se non explicet verum & falsum sensum?

LXII.

Affirmat id Phantasta Mulhusinus: sed procul dubio tunc feбри maligna laboravit, cum tantas ineptias ne Alphabetario quidem dignas scripsit. Et quia cum absurdo ne ticam deliro homine mihi agendum est, per absurdas etiam consequentias ipsi occurrendum puto.

LXIII.

Inepta argumentatio.

Accipiat igitur hoc contra delirium remedium: Quod non expresse & determinate dicit, tu & tu deciperis, illud per se non explicat verum & falsum sensum:

At nulla scriptura sive sacra sive prophana expresse & determinate dicit, tu & tu deciperis. Ergo nulla scriptura sive sacra sive prophana per se explicat verum & falsum sensum. Verum apud omnes sanos philosophos absurdissimum est, omnes Libros ita conscriptos esse, ut inde per se nullus sensus verus peti & expectari possit.

LXIV.

Causa erroris & phan.

Sed inquirenda est causa erroris Gesauvuitici; per distincti-
onem

onem ambigua vocis, qua status controversie vehementer obscura
tur. Explicatio veri & falsi sensus fit bifariam, primo voce viva:
deinde voce scripta, & quidem utrobique significativè.

tasmatis
Gefauvvi-
tici.

LXV.

De priore significatione de qua Minor loquitur, nulla est
lis: nec enim libri apud nos loqui possunt, sicuti olim in Papatu ex-
cavata sanctorum statua loquebantur, quibus vivi Monachi in-
clusi erant, cuiusmodi larvam nuper in Gymnasio Grimmensi, tam-
quam partem de Reliquiis sanctorum Monacharum, vidi & cum
risu contemplatus sum.

Pontificio-
rum mira-
cula noten-
tur.

LXVI.

De posteriore autem significatione contenditur, An sacra scri-
ptura, pro ea, quam scripta habent, significandi potestate, per se ve-
rum & falsum sensum explicet? Respondemus quod sic: Quia aliàs
non est scriptura, cum non habeat $\phi\omega\nu\nu\sigma\mu\mu\alpha\upsilon\tau\iota\kappa\eta\nu$: nam quod nul-
lum sive verum sive falsum sensum per se explicat, id per se nihil si-
gnificat: cum sine sensu nulla sit significatio nam sublato significato
(significatum autem est sensus) tollitur ipsum significans, & per con-
sequens ipsa Relatio.

LXVII.

Est igitur Maior in thesi 63. duplici nomine falsa. 1. Quia
est particularis: siquidem sensus verus & falsus non explicatur sol-
vivà voce, sed etiam scripta. 2. Causam falsam pro vera obtrudit,
perinde ac si species non expressa, sub genere etiam non esset com-
prehensa.

Duplex er-
ror.

LXVIII.

Vt enim de Paulo V. Fulmineo illo Venetorum Domitore scili:

cet, Sacra scriptura expresse non dicat: tu Phaule es Antichrista: tamen quis sit, dubium nullum est, quandoquidem sufficit eum Antichristi notas habere. Nusquam etiam sacra scriptura expresse dicit: Vos Iesuite salvamini: Ergone Iesuite prater omnem divina scriptura sensum salvantur? procul dubio eo quo digni sunt modo.

LXIX.

Adde & hoc ex aliis disciplinis exemplum: Lex scripta nusquam expresse dicit: tu adulter es decollandus: tu fur es suspendendus: quis autem Iurisconsultus audet dicere, quod Lex scripta per se non habeat eum sensum, ut quisvis adulter decolletur: quisvis fur etiam hic vel ille suspendatur? judicent omnia Iurisconsultorum collegia, an scriptis hominum plus tribuendum sit, quam scriptis divinitus inspiratis.

LXX.

Tandem si maxime concedo, rationem Mulhusini Apostata valere aliquid, potius id mihi quam ipsi prodest. Nam Matth. 22. v. 29. dicit Scriptura ad Sadduceos expresse & determinate: erratis nescientes Scripturas. Ergo per se explicat verum sensum, in hac controversia. An futura sit resurrectio mortuorum?

LXXI.

Nec tamen satis est dixisse: Vos erratis: sed adducit etiam Salvator argumentum ἐλεγκτικόν ex Scriptura, quae si non significando per se verum sensum aperuisset, non fuissent Sadducei ad silentium stuporemque redacti.

An Moguntini per hoc quartum mendacium
quicquam solverint de argumento
Mulmanniano?

LXXII.

*Etsi mendacium quartum multis iam rationibus prolixè refuta-
tū sit; tamē ut quilibet lector videat, quod Gesauv vita de argumē-
to meo, cuius in prima disputatione facta est mentio, ne literulam
quidem destruxerit, probo id tali Syllogismo.*

*Quicquid per se sine Ecclesie auctoritate non explicat, quis sen-
sus verus vel falsus sit, id etiam per se auctoritatem judiciariā
Ecclesie sine eadem probat. Nam in probatione veri sensus & re-
futatione falsi consistit omnis disputatio.*

*At Sacra scriptura per se sine Ecclesie auctoritate non explicat,
quis sensus verus vel falsus sit. Hoc dicunt Moguntini.*

*Ergo Sacra scriptura per se auctoritatem Ecclesie Iudiciariam si-
ne eadem non probat.*

Quidnam igitur tandem probabit?

LXXIII.

*Sic Pontificii semper in dubio relinquunt, an Ecclesia habe-
at potestatem controversias sacras iudicandi infallibilem, etiam
cum ex Scriptura plura quàm duo testimonia citant: nam semper
petunt principium per Scripturam, quam sine ipsorum interpreta-*

C 3

tione


Gesauvvi-
tæ semper
petunt
principium
in proban-
dis suæ do-
ctrinæ fun-
damentis.

ione nihil probare, nullam litem dirimere, sed potius inferre
impudenter & blasphemè demonizant. Ita fit ut Pyrrho meus, re-
divivus adhuc triumphet.

Sed hac de tertio & quarto mendacio sufficiant: Deus cri-
minatores sui Verbi convertat, impenitentes confundat.

Amen.

FINIS.



05 A 568

ULB Halle
004 209 923


3



Sb

1077





B.I.G.

Farbkarte #13

3



*Disputatio AntiGesauvuitica
tertia*

DE VERBO DEI SCRIPTO.

Contra mendaciorum Mulmannicorum speculum, cuius se fabrum profiteretur Iohannes Mulhufius sive Epinassi/ Sectæ Iesuiticæ D. & Professor Moguntinus, Apollata egregius.

QVEM

Ad respondendum de propositis singulis Quæstionibus sive Problematis, provocat, & cum argumentis melioribus & solidioribus instructum prodire jubes

P R A E S E S

M. IOHANNES MULMANNVS Peg. Lips. ad D. Nicol. Archidiaconus.

Respondente

M. SEBASTIANO Frey / Lipsiensi.

VVITEBERGAE

Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus Clementis Bergeri Bibliopol. Anno 1607.

